

Nos igitur post eandem resignacionem prefatum allodium cum omni jure et utilitate ad hoc spectante ad instanciam dicti Th[oderici] de Honsberc et fratrum suorum et ob salutem anime nostre hospitali sito prope civitatem nostram Vriberc dedimus jure proprietatis perpetuo possidendum in usus et in elemosinam ibidem degencium infirmorum, 5 volentes idem allodium promocione speciali prosequi et favore et ab omnibus ipsum inquietare presumentibus defensare, immo sub nostra protectione speciali semper habere intendimus et fovere allodium memoratum. In cujus rei testimonium presentem conscribi fecimus litteram sigilli nostri munimine roboratam. Testes hujus sunt predictus miles Theodericus de Honsberc, Vlricus miles de Maltitz, Theodericus Kunikonis, Nico- 10 laus de Zibizlawitz, Theodericus Obrasus tunc temporis magister burgensium, Cunradus Marsilii, Heinricus de Vrowenstein, Berlewinus ac alii jurati et burgenses Vribergenses et quam plures alii fide digni. Datum Vriberc anno domini m° cc° LXXXX° III°, pridie kalendas decembris, videlicet die beati Andree apostoli.

(SFR.)

15

51.

Markgraf Friedrich der Freidige eignet dem Hospitale ein von Utrich von Maltitz zu Lehn gehendes, gegenwärtig im Besitze der Elisabeth und Hedwig, der Töchter des Johannes Rufus, stehendes Gut zu Sohra für den Fall des Todes der genannten Besitzerinnen. Freiberg, 1295 Apr. 10.

Hdschr.: Or. Perg. Rathsarchiv Freiberg K. 35. Fragmente des Reitersiegels an einem Pergamentstreifen, der durch 20 Lostrennung des untern Randes der Urkunde gebildet ist.

Nos Fridericus dei gracia Misnensis et Orientalis marchio et Saxonie comes palatinus recognoscimus et te[n]ore presencium publice protestamur, quod allodium situm in villa Zarowe, quod nunc possident Elizabeth et Hedewigis | filie quondam Johannis Rufi beate memorie, post liberam resignacionem ex parte Vlrici militis de Maltitz, | ad quem 25 collacio ejusdem allodii pertinebat, in manus nostras factam concedimus atque damus hospitali sito prope civitatem nostram Vriberc, ita ut idem hospitale prefatum allodium cum omnibus suis proventibus post mortem predictarum duarum sororum jure proprietatis perpetuo debeat possidere. In cujus rei testimonium presentem conscribi fecimus litteram sigilli nostri munimine roboratam. Testes hujus sunt Theodericus de Honsberc 30 et Vlricus de Maltitz milites, Johannes Lotschko, Theodericus Obrasus, Heinricus de Vrowenstein, Theodericus de Schocher et quam plures alii fide digni. Datum Vriberc anno domini m° cc° LXXXX° v°, III° ydus aprilis, videlicet dominica qua cantatur quasimodogeniti.

(SFR.)